

DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ ~~[illegible]~~ Secundâ *menſis Febuarii, anno Domini* M. DCC. LXX.

M. JOANNE DESCEMET, Cenſore Regio & Scholarum Profeſſore, Doctore Medico, Præſide.

An ſui ſint Morbis chronicis motus critici ?

I.



NATURAM morborum medicatricem eſſe, & pulcherrimam artem Medicinam in eo totam reponi, ut illam nunc languentem exſtimulet, nunc frænet æſtu immodico turgentem, nunc aviam in rectum deducat iter, jam pridem in ſcholis Medicis notum & omnibus decantatum. Quid enim aliud natura ? Niſi actuoſus ille motus quo ſtatim atque labes inuſta fuerit functioni cuidam, ceteræ fiant participes erroris, proſternantur ſimul & quaſi condoleant : quibus quidem ita conſpirantibus amicè, ſi de improviſo cauſa lædens inciderit fit renixus : acutus ille quidem dum

natura ab instanti periculo succussa vividiùs, statim signa movet, omnes vires exerit, ut hostem fortitèr irruentem fortiùs repellat, profliget, opprimat. Chronicus erit, dum è contrà vix sollicita metu, quasi respiceret hostem è longinquo, in aciem descendit ignaviùs, partitis, ut ita dicam, viribus, vix advocato persæpe febris auxilio. In acutis affectibus cum quatuor stadia percurrantur uno tenore, statis & determinatis temporibus exacerbationes oriuntur defervescuntque nunquam revocandâ naturæ lege, coctionem presso pede subsequitur crisis quam citò adfuturam prænuntiat insignis quædam functionum læsio notante *Galeno* (*a*), hinc nullus relinquitur dubio locus, nullus errori; omnia perspicua sunt: causa morbi, naturæ renixus, hujus effectus, phœnomena, solutio ex artis præceptis facilè præsagienda. At in chronicis cum varius sit larvati morbi incessus, sæpiùs ille falsis deludat imaginibus, mille Medico interrogandæ sunt viæ, ipsi relegenda sunt naturæ vestigia, vix delineata, inextricabilia ferè & quæ medio in itinere evanescunt plerùmque Ut igitur sentiatur quid in chronicis à naturâ possit expectari, accuratè dividendæ sunt affectiones chronicæ. Prima species est illarum quæ causam naturæ resistentem afferunt, ut omnes morbi quos ex decidentiâ chronicos vocamus & quasi acutis insitos; tales sunt rheumatismi, qui aliquandò inflammatorii, posteà dolores important chronicos; arthritidum vagarum genera varia, abscessus diuturni in acutis inflammationibus supervenientes; febres illæ longæ & ferè cachecticæ, sive suum caracterem illis impresserit temperies homini propria, sive peculiarem à regione mutuentur indolem: ita inferioris Brabantiæ febres longuas norunt omn.s; sic febres intermittentes in septentrionalibus Galliæ plagis sæviunt miserrimè (*b*). Altera chronicorum species est quæ causam habet recidivam; vel quod illa petatur ex alimentis, vel quod à vitiata aeris diathesi contrahatur: ut sunt spasmata, Pictonibus tot recurrentes ventriculi & intestinorum dolores colici, paludum & cœnosarum regionum incolis scorbutus, cachexia, hydrops. Tertia recensebitur chronicorum species quæ naturæ vires nedùm exstimulet, illas contrà imminuit ut sunt obstructiones, infarctus qui sanguinis circuitui nocent, scirrhos procreant; quæ pessima labes causarum suprà allatarum soboles, nullum non potest vitium invehere ex iis quæ modò me[illegible] [illegible]inus. Quibus si illa addideris mala quæ à vitiato nervorum tono pendent, & quæ per se gravissima totam tandem debilitant machinam, nulla tibi superest alia chronicorum species præter eam quæ extrà naturæ centrum activum posita, jam sanari se renuit quasi corpori extranea.

(*a*) De crisibus lib. III. cap. IV.

(*b*) De reconditâ febrium intermittentium tum remittentium naturâ p. 17.

I I.

IN hâc tantâ malorum congerie, nihil est quod dulcibus quidem *Helmontii* (*c*) promissorum illecebris delusus Medicus, morbum in ipsis incunabulis opprimere tentet, agenti naturæ vinculis, ut ita dicam, injectis: frustra empyrismo cæco semper, fallaci plerumquè sese tueri aggredietur. Consilium in melius referat. Conversis igitur studiis, si mali originem scrutetur altius, classes memoratas attento perlustraverit animo, in morbis etiam intricatissimis chronicis quænam partes naturæ sint relinquendæ, quænam arti suscipiendæ facili negotio deprehendet. Enimverò licet causæ sub variorum accidentium formâ velut superinjectâ larvâ ament delitescere; miratur attentus obser-

(*c*) De febribus cap. XII. circà finem p. 772.

vator actionem naturæ ſemper unam, miratur optimam hanc medicatricem ſemper ſibi conſtantem, ordinatam ſemper morbos finire & judicare iiſdem facultatibus quibus animalia tum nutrit, tum auget, ut *Galeni* verbis utar (*d*). Et certè in febre qui ultrà morborum acutorum periodos extenditur, quam ſolvere non potuerunt criſes imperfectæ, nimis parcæ vacuationes, abſceſſus dignitati morbi non reſpondentes; errat humor devius nunc huc, nunc illuc minaces inſidias ſtruens: nec ars tacito timore perculſa aliquid tentare valet præter ſumma indicationum capita; erit tamen undè ſibi plaudat, ſi naturam ſequatur exploratrix ſedula & nunc huc impellat morantem, nunc obſervet rectè agentem, nunc revellat in nobiliora viſcera decumbentem. Agit intereà natura & dum vepres olvuntur, viam illa repetit expeditam: at non uno ictu ut in acutis tollitur morboſa materies; ſæpè verò diarrhæa ſalutari paulatim ejicitur, ſæpe multis abſceſſibus qui nec opinantes ſanavere plures, ad ſuperficiem corporis appellit, ſæpe prodagâ ad pedes & articulos devehitur in circuitum ſanguinis non amplius niſi præpoſterâ methodo reverſura. Quod ſi ab alimentis & ingluvie ſæpè recrudeſcat mali fomes, natura cibi faſtidio tibi ſobrietatem præcipit & diarræha citius ocius accidet. His ita depulſis hoſtibus continuò reviviſcentibus, natura ad agendum impar antè ſaburræ vacuationem tunc par fit actioni. Quod quidem ut ad veritatis gradum uſque evehatur conſulamus clinicos. Sæpè ſub antiſcorbuticis emicuit ad exteriora ſcorbutus, teſte *Eugaleno* (*e*). Renovatam fuiſſe ſub mercurio gonorrhæam multoties vidit *Aſtrucius* (*f*). Refert & percelebris de melancholia tractatus author (*g*) virum gravem melancholiâ per totum hyemis decurſum & quidem humorali miſerè affectum immodico fructuum horæorum uſu, diarrhæâ bilioſâ flavâ erumpente, fuiſſe perſanatum. In his omnibus caſibus naturam adjuvaſſe fuit ſatis. Imprimis verò in tertiâ morborum chronicorum claſſe cum, effætis, ut ita dicam, viribus, natura proſternatur ad mortem & ſalutem velut indifferens, ipſi ferendæ ſunt ſuppetiæ; iis adjuta quæ priùs victa fuerat victrix evadit. Hinc, docente *Thomâ Glaſſ* (*h*) in abſceſſibus poſt longuos & diuturnos morbos provenientibus ferro præſtant cauſtica; ignis enim actione, velut excuſſâ Promethei face, revocatur in affectâ parte vis vitæ penè fugiens, ceteræ corporis functiones quæ langueſcebant atoniâ torpentes rapiuntur in conſenſum, repetitâque vaſorum oſcillatione morboſa materies quà data porta ruens partes principes ab omni congeſtionis & decubitûs metu felici derivatione ſervat immunes. Sic in his quos ab hepatis obſtructione, bilis infarctu vexat icterus, ubi compoſito priùs vaſorum tono liquefactæ bili ſtimulum addideris, otioſam & quaſi feriantem naturam ità inſtrues, ut ſpontè deinceps & propriis viribus opus ſuum abſolvat. Quid jam de morbis nerveis addamus? Quoties illi a dirâ pendentes acredine impetiginum aut herpetum erruptione ſanati ſunt: hinc in melancholico morbo ſcabiem inſerere docuit *Merklinus*. (*j*) Fœminam quamdam jam annis provectam ab ephœbis aſthmate convulſivo vexatam, ſalutari exortâ diarrhæâ, ab aſthmate, calculo, colicis doloribus fuiſſe liberatam author eſt *Floyerus*: ut alia multa ſilentio premamus.

(*d*) De crisibus lib. 1.

(*e*) Eugalenus de ſcorbuto.

(*f*) De morbis veneris tom. 1. lib. 4.

(*g*) Tom. 2. p. 337.

(*h*) Comment. XI de curat. abſceſſus critici p. 205.

(*j*) Acta berolinenſ. tom. X

(*k*) Traité de l'Aſthme chap. 3. p. 117.

III.

COGNITA ſemel morborum chronicorum indole ubi recto rerum non naturalium uſu cauſas accidentales quæ junctæ morbo naturæ novum imponerent onus arcere datum fuit, ſeſeque à novo & renovato eorum im-

pulsu immunem tueri; tunc naturam sibi relictam inspicias, præsagâ mente futuri. Non aperto quidem marte bellum indicat, cum plerumque debilior illa sit, nihilominùs tamen hostem insequitur à tergo ut loquar cum *Sydenhamo*, per cuniculos furtim subrepit & morbos gentem inimicam sibi partitis certaminibus aggreditur. Enimverò periodicis narium hæmorragiis tabis accessum arceri (*l*); quam plurimos morbos chronicos accedente per vices dolore podagrico, vel erumpente hæmorroidum fluxu perfectè judicatos fuisse & penitùs sublatos innumeris confirmatur exemplis. In leucophlegmaticis pallidarum virginum morbis fallaci plerumque curationis spe deluduntur sollicitæ matres nisi natura plurimis & repetitis vicibus febris auxilium advocaverit: hinc in his casibus tot febres intermittentes. Nonne videre est graves nervorum morbos certissimis criticorum motuum legibus obtemperare. Et quidem ut alia multa taceamus, de epilepsiâ notum est quod post multos & repetitos insultus, pubertatis tempore, dum novum robur infunditur artubus discedere soleat. (*m*) Quid aliud offerunt hystericorum affectuum, hemicraniæ paroxismi periodicè recurrentes, nisi conatus naturæ crisim molientis, imperfectam quidem; cum pars oneris dematur, non onus totum tollatur. Hâc verò sublevatione alacrior ad pugnam insurgit natura. Post ubi collectum robur, receptis viribus, hostem jam debilitatum uno tandèm proterit ictu. Sic plurimorum chronicorum crisis perfecta morbus acutus, uti legere est apud *Sydenhamum* (*n*); quod illis annis quibus febres intermittentes tyrannidem exercebant, occurreret febris continua in quâ, naturâ duce ita temperabantur omnia symptomata febrilia ut morbosa materies debitâ coctione præparata certo suo tempore disponeretur ad exitum.

Verum major adhuc nostræ thesi lux affulgebit ex febrium intermittentium decursus contemplatione. In illis enim febribus materia paroxismum concitans intra ipsum insultum subigitur & post ipsum impetum ejicitur foràs. Suæ sunt ineunte paroxismo perturbationes; defervescentiam excipit quies quam malefidam arguit pulsus ad statum naturalem nondum perfectè reductus. Latet enim intus mali fomes specificis remediis non nisi post prægressos plures paroxismos debellandus. Et illud adeò verum est ut in principio febrium intermittentium felicem persæpè non spondeat eventum cortex peruvianus. Criticis enim motibus nondùm attenuata materies, ad exitum impar, nedùm medicamentis obsequiosa pacatè foràs climinari se sinat, magis ac magis exasperatur & recrudescit; non aliâ de causâ licet in longum protrahatur peruviani corticis usus, à febris recidivæ metu non liberantur ægri, nisi materia febrilis naturæ viribus subacta fuerit. Hinc *Baglivius* (*o*) prudentèr monet corticem peruvianum dare nullis præcedentibus signis coctionis piaculum esse. Hinc apud *Sydenhamum* (*p*) qui tam accuratè naturæ incessum expressit, *cavendum est ante omnia ne præmaturè nimis cortex peruvianus ingeratur antequam morbus suo se marte protriverit.*

Nec desunt tumultus critici, seu perturbationes criticæ quæ quidem hanc vel illam partem occupent ubi fertur in illas humor: sic podagra multorum morborum crisis, post febrem ephemeram à malis lentis erumpit & sanum relinquit corpus; sic sæpe horrores & rigores febrem comitabantur quæ illustrissimum *la Hire* à palpitationibus vindicavit. (*q*)

Verùm non semper in bonum fit crisis, affectis scilicet partibus prin-

(*l*) Bennet theatrum tabidorum pag. 15.

(*m*) Hoffmanuus sect. 1. cap. 15.

(*n*) Tom. 1. chap. 5.

(*o*) Opera omnia Medico-practica Pag. 389.

(*p*) Epistolâ primâ responsoriâ p. 193 15.

(*q*) Lorry de melancholiâ tom. 2. p. 166.

cipibus : ut si humores introvertantur, quod aliquandò in scabie in lue venereâ & scorbuto accidere viderunt omnes. In his rerum angustiis omni ope atque operâ enitendum est ut revulsionis leges sectemur & naturæ actionem in minus utiles plagas dirigamus.

I V.

QUA ratione crises illæ viribus ita repetitis eveniant, deducere non difficile est ex observatione chronicorum indolis, actionis naturæ & analogiâ cum acutis. In his enim in quibus naturæ viribus ferocienti fræna potiùs injicienda sunt quam ipsi inerti calcar addendum; cum horæ momento concurratur & repentinâ materiæ morbosæ vacuatione victrix resurgat natura; tunc opus ejus unum & operatio simplex crisim totam absolvunt, vi scilicet totius cirtuitus & omnium organorum renixu. In chronicis verò mutatâ scenâ diversa prorsùs nascuntur phœnomena. In his enim naturam imbellem & otiosam arguunt, tum illorum causæ, cum plerique originem ducant ad impotentiâ ad coquendos humores, sic dictante [redacted] (r); tum terminatio per abscessus. Causa quidem abcessum efficiens, ut rectè animadvertit celeberrimus *Glass*, videtur esse materia subacta quodammodò, sed non adeò diligentèr ut naturales vias, intestina, renes, cutim subire possit, atque sanguinis motus imbecillior quam ut arterias disrumpere queat. Non mirum igitur cur natura repetitis viribus lacessat hostem quem statim opprimere non posset. Illud præsertim accidit si partialis operatio dignitati morbi non sit consona. Hinc dum chronicus morbus movetur per abscessum, in id intendi debet artis auxilium ut ad exteriora sollicitetur morbosa materies, ne recurrat ad interiora pessimis semper ægrotantium rebus. De quò videantur ante alios *Glass*, *Freind*, in commentariis de abscessibus ad mentem Hippocratis. Enimverò repetenda est actio & eo magis repetenda quo debilior illa fuerit. Sic in vomicis expuitio, si totalis non fuerit ob imbecillitatem corporis, novas febres, tusses novas accendit. Succedit sic crisypelati diarrhæa, remanet erisypelas levius aut naturâ faciendam aut arte provocandam expectans diarrhæam, idem esto judicium de eâ quæ surditatem tollit. Hæreat in vesicâ biliari calculus, en adsunt vomitus qui progressum illius promoveant. Sæpè verò per plurimorum mensium intervallum recurrunt priusquàm hostis foràs prodeat, naturâ monstrante viam. Quæ quidem actio ita aliquandò evidens est ut etiam ars licet imitatrix naturæ timida & verecunda possit ipsi morem gerere, eam suscitare & ad crisim impellere; sic quoties latens arthritis gulam hominis occupat & ipsam angit faucibus elisis; toties sinapismis, vesicantibus crises non unâ vice, sed repetitis vicibus licet procreare : sic etiam in febribus illis malignis & halitu pestilentiali feralibus, post multa inutilia molimina, *critica quidem illa sed pauca*, si naturam occupasse toto morbi tempore non contigerit, adest parotis vel bubo; ne verò naturæ sæpius delusæ confidamus, monuit repercussa crisium cohors : tunc igitur caustico potenti ipsam invadimus, & quasi principia morbi in parte fixiora reddimus ne spes qualiscumque crisium avolet, quod accidit hæsitantibus.

(r) Tractatu de podagra p. 316.

Verùm non eò fiduciæ devenimus ut in omnibus casibus motus criticos expectandos esse suadeamus. Illos tantum criticis motibus parere morbos qui

naturæ subjiciuntur actioni planum est ; destructâ semèl organisatione per indurationem aut quod pejus adhuc per corruptelam spem omnem etiam destrui necessarium est. Quam falsis igitur deliniuntur illecebris qui cancros ulcerosos, qui scirrhos perfectos sanari posse confidunt. Nec melioribus fatis frui conceditur in omnibus morbis qui, etsi pateant actioni naturæ, eam tamen gradu superant & non nisi visceris cujusdam principis destructione finem habere possunt ; cum in ipso vitæ fonte naturæ vires opprimentur. Sic in phtisi pulmonari instantem mortem præsagire licet nunquam certiùs, quam dum febris ope natura materiæ purulentæ molitur exitum, uberiori exortâ sputorum exscreatione ; si præsertim addat se comitem diarrhæa colliquativa. Tunc enim asseri potest tardam priùs lethi necessitatem gradum corripuisse.

V.

NON est quòd ad infirmandam nostram thesim hinc & indè corradantur raræ morborum chronicorum species quæ motuum criticorum vim eludant evidentissimè. Nihilominùs [redacted] inconcussa manet propositionis nostræ veritas. Quid enim adversus regulam generalem valet exceptio una aut altera Et certè quemadmodum lex iniqua sanciri videretur si naturæ ferentis suppetias vis & actio denegarentur in acutis, cum in illorum quibusdam contingat ut ingrati & irriti sint ipsius conatus : ita & in ipso veritatis jubare cæcutire vellet qui contenderet chronicis in affectibus varium esse semper & mutabile naturæ dominium, ex eo quod inter chronicos quidam nullis legibus regi se patiantur. Nequicquam igitur objicient plurimi Quid opus est insudare in detegendis motibus criticis in chronico morbo, cum in acutis in quibus vestigia naturæ recentia minime tallunt *non certæ sunt prædictiones neque mortis neque sanitatis* si fides sit *Hippocrati*. Nihil est unde commoveamur divi senis authoritate cum in malas partes detorqueatur, hoc enim in acutis monuit *Hippocrates*, non ut crisibus fides denegaretur, ne verò levioris ingenii Medici nimis properantèr & temerè præsagiant futura. Aliundè in chronicis morbis motuum criticorum observatio sedula maxime conducit, imo necessaria est, ut Medicus naturæ semper obsequiosus ipsi morem gerat, ne per vias minimè expeditas artis importuno molimine tentet educere noxium humorem, qui quidèm à naturâ doctus iter melius, nullo concitato tumultu, motu quasi proprio per convenientia loca potuisset eliminari ; ut enim præcepit *Hippocrates* : *quidquid in contrarium vergit, criticum esse non potest.*

At inquient in morbis qui pendent à vitiato nervorum tono, quos ex absentia materiæ peccantis intemperiem sine materiâ vocabant veteres ; nullam certè coctionem sibi promittere potest Medicus ; nihil est unde manus auxiliatrices ipsi porrigere valeat natura, motus criticos excitando : cum omnium Medicorum consensu, coctio nihil aliud sit quam materiæ morbosæ subactio sive maturatio πεπασμὸς : crisis verò renixus virium quibus in unum conspirantibus, materia mobilis & ad exitum parata foràs eliminatur in melius converti nescia. Ne minimum quidem scrupulum nobis injicere potest illud argumentum, licet primâ fronte inextricabilem difficultatem movere videatur. Admotâ rationis & experientiæ face facillimè dispergitur prætensa nubes. Enimverò crisis nomine intelligitur mutatio quædam vel ad ægrotantis sa-

nitatem vel ad exitum facta, ſive degeneres humores amicam œconomiæ animali amiſerint indolem, ſive ſolidis tantùm labes fuerit inuſta ; hinc febris inſtrumentum naturæ non tantum ad id inſervit, ut ſubactio materiæ morboſæ evadat perfecta : ſæpè etiam motum vehementiorem & citatiorem inducendo convulſivos & abnormes ſolidorum motus compeſcere viſa fuit ; ut concludere pronum eſt ex illo coacarum prænotionum effato. (ſ) *Convulſionem ſolvit febris acuta ſuperveniens quæ priùs non fuit, ſi verò fuit priùs jam exacerbata.* Sic legere eſt in optimo de melancholiâ tractatu (t) *in gravi morbo febrem acutam, concitante melancholia conticeſcit, ſimul enim ſtare non poſſunt irregularis melancholicarum fibrarum vibratio & regularis febrium acutarum erethiſmus.*

(ſ) Coac. prænot. N°. 358 Charter tom. VIII p. 871.

(t) Tom. I. pag. 129.

His omnibus æquâ lance ponderatis, cum aliundè ni mens læva fuerit, enodantur difficultates quæ moveri poterant adverſus noſtram theſim concludere fas eſt.

Ergo ſui ſunt morbis chronicis motus critici.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus-Claudius GUILBERT, *antiquus Regis exercituum Medicus ordinarius.*

M. Joſephus-Jacobus GARDANE, *Cenſor Regius & Regiæ ſcientiarum ſocietatis Monſpelienſis ſocius.*

M. Ludovicus PATHIOT.

M. Edmundus-Claudius BOURRU.

M. Joannes-Staniſlaus MITTIÉ, *Regiæ ſcientiarum & litterarum Nancei Academiæ ſocius nec-non Staniſlai I. Poloniarum Regis dum viveret, Medicus ordinarius.*

M. Franciſcus BIDAULT.

M. Joannes-Antonius ELIE DE LA POTERIE.

M. Philippus QUERENET.

M. Joannes-Claudius MUNIER, *Conſiliarius Medicus Regis ordinarius & Domûs Regiæ invalidorum.*

Proponebat Pariſiis, CAROLUS-JACOBUS-LUDOVICUS COQUEREAU DE NANCÉ, Pariſinus, ſaluberrimæ Facultatis Medicinæ Baccalaureus, Theſeos Autor. A. R. S. H. 1770.

Ex Typis QUILLAU, Univerſit. & Facultat. Med. Typograph.